Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quiro uos sicut dominus Deus requisiuit Cain, cum dixit ad Cain, ubi est Abel frater tuus, sic ego uos quæro, ubicũq; estis in hoc corpore, siue in carne, siue in sanguine, in nerui, siue in uenis, siue in quacunq; parte corporis huius famulæ Dei. N. ut non possitis uos occultare: sed cito uos, sicut Deus citauit Abraham super unum montium, ut immolaret ibi filium suum, Sic ego uos cito doemones, quicunq; estis, unus aut plures, ab omnibus membris huius famulæ Dei N. ut ab infima parte pedis ascendatis ad supremam partem capitis, et in lingua huius famulæ Dei. N. mihi respondere non tardetis.

Coniuro uos doemones quicunq; estis, et quæro uos, sicut beata uirgo Maria quæsiuit filium suum Jhesum Cristũ, et post triduum inuenit eum in templo: sic ego quæro uos, ubicunq; estis in corpore huius famulæ Dei. N. et relictis omnibus membris et partibus totius corporis, in quibus huc usq; latuistis, et ueniatis ad supræmam partem capitis, ut in lingua huius famulæ Dei N. resideatis, mihiq; ad singula respondere non tardetis: per eum qui uenturus est. etc.

Sequitur Exorcismus.

Exorciso te immunde spiritus per Deum patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram, mare, et omnia quæ